



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita Venerabilis Yolanda Priorissae Ad Mariae Vallem in  
Ducatu Lucilburgensi**

**Wiltheim, Alexandre**

**Antuerpiae, 1674**

Cap. II. Cum matre Namurum proficiscitur; Salsinij inter Sanctimoniales suscipi ab Hymanâ Antistitâ rogat. Sed passa repulsam, vitae urbanae & hilari mores accommodat, usque ad annos nubiles. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11873**

grata pārentibus, quorum omne solatium, gau-  
diumque in Yolandā. Objurgabat mater. Sed  
perstebat illa in dicto, ausa etiam addere: abesse  
verbis suis fucum: perinde se loqui, atque animo  
sentiret. Nec sancte cogitatis erat vita dispar.  
Quidquid rectum bonumque, eò rapi magis,  
quām ferri. Opus quidem agere cum puellis, nec  
in eo singularis. Vigilare interim, comprecari,  
abstinere à cibo, sed velut experimento. Quin  
adèò, quod mirere, puella tenera & delicata se  
virgis cædere, aut alienā manu se cædi jubere.  
Perpetua ei comes erat puella. Hæc, si quando  
clām licebat, flagro in eam animadvertebat. Tales  
erant Yolandæ mores; ipsa interim omnium,  
quotquot eam cernebant, subigebat amore ani-  
mos.

## CAPUT II.

*Cum matre Namurum proficiscitur; Salsini  
inter Sanctimoniales suscipi ab Hymanā  
antistitā rogat. Sed passa repulsam, vi-  
tæ urbanae & hilari mores accommodat,  
usque ad annos nubiles. Parentes eius de-  
liberant de illius nuptijs.*

**F**uit, ut Margarita Namurum proficiscere-  
tur, ductā secum Yolandā. { Erat in Subur-  
bano nobile Virginum Cœnobium Ordinis D.  
Bernar-

Bernardi. Salsinio loco nomen. Virgines *Griseas* Hermannus perpetuò nuncupat, quod tum cinerrei coloris amictu Cistercienses multum uti solebant, quâ de re cùm alijs, tum maximè Marriquensis in Ordinis sui doctissimis annalibus. Antistes Salsinio tum præerat Hymana, Conradi Archiepiscopi Coloniensis ex Mathilde Viennensi uterina Soror, Yolandæ cognata; quæ causa Margaritæ fortasse fuit Salsinienses vigines adeundi.] Comitabatur eam Yolanda; quæ, simul atque mater cœnobium ingressa est, ad tyrunculas se cursu contulit: ex per monasterium circumducunt, atque interiora domus commonstrant. Ibi subito Yolandæ animum incessit mentis ille ardor, quo se Sponsam Deo destinaverat. Nec mora, cœu nocta hic esset tempus atque locum exemplendi destinata, virgunculas summoperè obserat, uti Ordinis sui habitum proferant, eoque se conuestiant: decretum sibi, terrenis rebus valere iussis, ibi Sanctimoniale fieri; quin & locum ostenderent, ubi abdita delitesceret, & matris custodiam evaderet. Territæ hâc oratione puellulæ, ad Antistitiam properantes, hâc ei nuntiant. Hymana mulier sapiens, continuò, ut hâc ad se delata sunt, Yolandam adit. Cumque hâc pari, quo paulo antè, ardore, ordinis habitum postulasset: illa; at ætas tua tenera nimis est, inquit, mea Yolanda, nec quid sit Ordo noster perspectum habes. Ad hâc, adest, en, mater tua, & quâm ego pervelim, tâm illa non patietur esse

te nostram. Porrò matris ira nec tibi bono erit, nec commodo nobis. Tum Yolanda; at tu, quæso te, me tamen ordini vestro, si qua potes, adscribe. Matris ira, & ex irâ damnum, utrumque meum esto. Si usquam propè hīc secretus est angulus, huc me seclusam properè coniicite, fletet animum fortè mater, meæque obsecundabit voluntati. Sed Antistes: cessa, inquit; rem poscis quæ fieri nequit. Perge; adeunda est mater. Perculta ad hanc vocem Yolanda, summo cum animi mœrore, spe suâ frustrata recessit. Haud multò post repetijt idem cœnobium Margarita, comite iterum Yolandâ. Hic exilire ei præ gaudio animus, & moram omnia arbitrari, donec loco succederet. Iterum antistitâ seorsum aditâ flagrantissimâ prece sacram Vestem postulat: Iterum postulata negat antistita, iterum objicit æstatulam. Addit: incertum valdè esse, quo in posterum futura sit animo. Arqui, ait Yolanda, animum ego meum, quam tu, utique novi melius: cæterùm quando nihil in te mihi est auxilijs, vereor ne cassæ sint spes meæ, & ne frustrà hīc opem solariumque quæsierim. Cum his mœsta conticuit, coacta imposterum premere silentio bonæ mentis decreta. Et erat cum matre abeundum. Quid interim ageret ita deiecta de spe suâ? Matris imperia atquè nutum sequi oportebat. Etati quoque aliquem dare locum: lœtam hilaremque esse, quod & mater, & amici id poscerent, exigeret etiam vita. Ergò admittere animo

mo gaudia ; quin etiam foris prodere ; tractare etiam subinde ludicra , sed perquam decenter, miraque cœpti gratiâ. Quibus rebus intuentium omnium amorem sibi conciliabat. Formæ tamen eximiæ venustas rapiebat maximè oculos , atque animos. Grata hæc admodum & iucunda parentibus. Margarita quidem, quod matribus solitum , speciei & moribus amatæ filiæ ex ornatu decus addere follicita, vestem pretio & formâ singularē comparat. Memorat Hermannus pallam plumatilem : in reliquo vestitu ; Syndones , byssos , bombycina ditiaque pallia ; sed antè omnia excultum caput , magnum illud mulierum negotium. Flavi ei capilli revincti tenijs , fascijs , redimiculis, fertis bombycinis auro intextis. Hoc cultu habituque quocumque se ferret , gaudij atque lætitiæ omnia implebat , perita cuicunque se aptare ætati & conditioni. Inter ancillulas atque adolescentulas , ceu nacta ibi ætati suæ opportuna , agere familiariter : inter seniores , ad gravitatem mores atque verba compōnere : inter equeales genere virgines , urbanitate præ cæteris omnium capiebat animos. Quin interdum neque choreas , neque cantum , ceteraque ioca , respuebat. Per hosce mores etsi fatendum , consopitam nonnihil videri potuisse mentem illam , quâ se puellula adhuc Deo Sponsam addixerat , pectus tamen inculpatum atque ab omni maculâ purum remanebat.

Interea iam processerant Yolandæ anni , ade-

ratque nubilis ætas , & ætate penè maior maturitas. Itaque parentes deliberant , cui viro coniugem dent ? Indicto super hâc re consilio , convenere Conradus Coloniæ Archiepiscopus , Yolandæ cognatus , & Henricus eius frater , Præpositus tum summæ ædis Coloniensis , cum Henrico & Margaritâ parentibus , & primoribus clien-  
tium. [ Memorantur autem in priscis tabulis  
clientes Comitum Viennensium , hi inter alios;  
Novocastrenses in Arduennâ Germanicâ , Eschen-  
ses ad Suram , Rulandij , Strepiniacenses , Brau-  
denburgenses , Orchetenses , Heinsbergenses ,  
Burscheitani , viri omnes equestri loco. ] Dum  
hi de matrimonio Yolandæ , nescio quo loco,  
deliberant , ipsa interim harum ignara rerum  
Viennæ hilares degebat lætosque dies. Decenter  
psallere , ludere , choreas agere ; mensâ uti opipa-  
râ , vesci ferinâ alijsque edulijs pro conditione  
generis splendidè , cum ecce memor sponsæ suæ  
Deus , adest in tempore , & pericitanti subvenit.

### C A P U T III.

*Consilio Waltheri de Meisenburgo MARIÆ  
Valli se addicit , eoque conatur clam pro-  
fugere.*

**F**Ortè venere Viennam ex ordine D. Domini  
nici duo Sodales. Nunciatum continuò Yo-  
landæ , mane orto iam dudum sole evigilanti,  
esse